

- 21 Contra pium jus nature
sunt infantes nimis dure
per parentes interfecti,
flammis aquis vel abjecti,
quod est nefas dicere.
Olym Nilus et Judea
puerorum nece rea,
nunc et nostra Pannonia
superavit hec omnia,
pari madens scelcre.
- 22 Persequentis timens manus,
intrat templum Christianus,
matris sperans auxilium:
matrem simul et filium
consumit incendium.
Hostis ensis quos subtrahit,
captivatos secum trahit;
clara natos genitura
servitutis ligant jura:
miles fit mancipium.
- 23 Olym dives Hungaria,
dum fulgeres in gloria,
firma cincta potencia,
regna vincens felicia
rerum affluencia.
Regni tibi latitudo,
regum clara celsitudo,
pugnatorum fortitudo,
populorum multitudo,
paxque per confinia.
- 24 Per te regna sunt vastata,
sed tu nunquam superata,
fama, laude dilatata,
paradiso comparata
cum bonorum copia.
Nunc in seva tempestate,
te confusam vastitate,
rerum pressam paupertate,
pre virorum paucitate
regna vincunt omnia.
- 25 Tibi venit hic eventus
tanta peste turbulentus
ob peccata que fecisti
. messuisti,
meritorum premia.

22, 6 vielleicht ensi. 23, 3 tincta Hs. 23, 6 Regnum. 23, 7 rerum.
24, 1 Vestata Hs. 24, 6 sena Hs. 25, 4 In der Hs. ist keine Lücke.